

## **Psalmus 143**

- 1 Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium,  
et digitos meos ad bellum.
- 2 Misericordia mea et refugium meum:  
suspector meus et liberator meus:
- 3 Protector meus et in ipso speravi:  
qui subdit populum meum sub me.
- 4 Domine, quid est homo, quia innotuisti ei?  
aut filius hominis, quia reputas eum?
- 5 Homo vanitati similis factus est:  
dies ejus sicut umbra praetereunt.
- 6 Domine inclina caelos tuos, et descende:  
tange montes, et fumigabunt.
- 7 Fulgura coruscationem et dissipabis eos:  
emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.
- 8 Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis:  
de manu filiorum alienorum,
- 9 Quorum os locutum est vanitatem:  
et dextera eorum, dextera iniquitatis.